



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Generalia remedia scrupulorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

5. Quintum. In dubio, an aliquid sit scrupulus vel dubium, presumere, quod tantum sit scrupulus.
6. Sextum. Meditatio obsectorum consolationem & fiduciam afferentium.
7. Septimum. Cogitare, quid ipse aliis in simili consilii daret?
8. Observanda ex parte Confessarii.
9. Remedia pro anxio de consensu dato in tentatione.
10. Remedia pro anxio, an ritè fuerint peccata confessi?
11. Remedia pro anxio de recitatione Horarum Canoniarum, & prolatione forme sacramentalis.
12. Sentiendum de Domino in bonitate.

§. I.

Generalia remedia scrupulorum.

1. Remedia scrupulorum alia sunt ex parte ipsius scrupulosi, alia ex parte Confessarii, seu directoris. Ex parte scrupulosi primò remedium generale est, adhibere suam, aliorumque orationem, quod remedium suggerit Jac. c. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et Rex Josaphat 2. Paralip. c. 20. sic orans: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc habemus solum residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*
2. Alterum generali scrupulorum radici oppositum est submittere suum iudicium prudentum & bonorum virorum consilio ac directioni, & credere firmiter, fieri non posse, ut curetur à scrupulis, nisi parendo consilio confessarii. Cùm enim scrupulus procedere soleat ex levibus fundamentis, & vehementi imaginatione, & scrupulosum conjiciat in periculum corporis & animæ; ideo dummodo pars opposita sit probabilis, debet illam scrupulosus tanquam probabiliorem & tutiorem amplecti, neque peccabit, tamen si à parte rei contingeret sententiam esse falsam: cùm opinio, quæ ex se est minus probabilis, in concursu scrupuli, sive respectu scrupulosi propter pericula è scrupulis emergentia fiat securior & probabilior. Cùm igitur probi & docti viri, vel confessarii consilium jam faciat sententiam probabilem respectu scrupulosi, ideo si moneat agere oppositum illius, quod scrupulus dicit, potiùs confessario, quàm scrupulo est obsequendum, & sive scrupulosus operetur deposito scrupulo, sive agat contra scrupulum, semper licitè operabitur, cùm non obstante scrupulo ex parte iudicii speculativi habeat conscientiam practicè certam, sibi hic & nunc licitum esse contra scrupulum operari. E.g. scrupulus tibi dicit, non posse te accedere sacramentum Communionem, nisi priùs repetita confessione, in qua putas, vel dubitas, te aliquod peccatum, vel circumstantiam omisisse, Confessarius verò te jubet etiam non repetitâ confessione Sacramentum accedere, obsequi debes confessario, credendo, licitam tibi esse S. Communionem, quidquid scrupulus contra obmurmuret, quod adeò verum est, ut homo vehementer scrupulis agitatedus licitè sequatur contrariam opinionem Confessarii, tamen putet, se posse jurare, quòd v. g. aliquod peccatum non sit confessus, quòd con-

fenserit &c. Ita Navarr. Rodrig. Bossi, Rosselli aliique, qui etiam rectè monent, scrupulosum postquam à Confessario, vel alio viro docto & prudente consilium accepit, non debere vago discursu plurium consilia expetere; id quippe magis augeendis, quàm minuendis anxietatibus delerviret.

Tertium est. Scrupulo pulsanti in primis initiis aditum occludere, cogitationem ad alia & causas, unde scrupulus generatur, divertendo.

Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, se posse sententiam probabilem, etiam si minus tutam & probabilem deposito scrupulo, vel contra scrupulum sequi, tamen si contraria argumenta Doctoris non possint solvere. Siquidem sententia ex se minus tuta & probabilis, respectu scrupulosi fit tutior, & probabilior.

Quintum est. In dubio, an aliquid sit scrupulus, vel verum dubium, posse scrupulosum presumere & iudicare, quòd sit merus scrupulus, eumque deponere, cùm hoc opinandi sufficienter sit fundamentum, quòd sciat, esse se scrupulosum. Imò quoties advertit scrupulosum, potest se cure agere contra illum. E.g. scrupulus dicit, repetendam esse horam Canonicam, quòd fueris voluntariè distractus; noli repetere; scrupulus jubet repetere confessionem, eò quòd aliquam circumstantiam omiseris, noli repetere, &c.

Sextum est. De gloria cælesti, de bonitate Divina, deque aliis, quæ ad spem erigendam, animique tranquillitatem conducunt, colloqui & meditari, prætermittis, quæ terrorem, metuque ingerunt, quemadmodum etiam vitanda est cum scrupulosus conversatio.

Septimum pro viris doctis est, ut cogitent quid consilii aliis hominibus sese accedentibus in simili casu darent, frequenter enim contingit, ut ga alios clementes & lenes, sibi ipsi nimium esse rigidos.

Ulterius ex parte Confessarii observandum, ut curet præmemorata remedia à scrupulo in praxin deduci. Ideo ostendat ipsi obligationem deponendi scrupulos & obediendi Confessario ob gravia damna, quæ ipsi è scrupulis eventuant. Sit resolutus & cordatus in consulendo, aliis quippe pœnitens etiam in deponendis scrupulis vacillabit. Dubia scrupulosi explicet in benigniorem partem, ejusque credulitatem quantumvis levem de non commisso peccato &c. pro certitudine accipiat; siquidem contra scrupulum, et inani imaginatione omnia in majus attollentur præsumptio. Ideo si scrupulosus ambigat, an aliquod peccatum commiserit, vel confusus sit, eundem ab ulteriori examine & investigatione dehortetur; nec permittat ejusmodi dubia peccata consistere.

Insuper suadeat verè scrupuloso, ne credat se peccasse, vel aliquod peccatum esse mortale, nisi de hoc tam sit certus, ut jurare possit. Imò si nimè foret scrupulis absorptus, tamen esset paratus jurare de commisso peccato, tamen non deberet ipsi credi, neque ejusmodi peccatorum confessio permitti, cùm experientia constet, tantam esse istorum hominum obstinationem, ut etiam jurare sint parati, dummodo permittantur ipsi

ipsis reiteratio confessionis, uti tradit Bofius p. 3. tit. 1. §. 54. & Joa. Sanch. disp. 41. n. 24.

Non permittatur multum loqui de suis scrupulis, & si consilii caulâ aperire velit, Confessarius illos pro nugis & ineptiis habeat, & abscondat sermonem. Et ne identidem à recurso scrupuloso molestiam patietur, præscribat ipsi regulas, secundum quas possit se expedire ab occurrentibus scrupulis. Si pro materia confessionis nihil scrupulos afferat, sine absolutione mittatur ad S. Communionem. Denique Confessarius cum omni patientia scrupulosum tractet, neque de ipso desperet, pro conditione tamen subjecti, modò a superiori, modò leniori utatur modo, utque tantò sit efficacior in persuadendo, periculum scrupulosi in se recipiat, & promittat pro ipso respondere in extremo iudicio.

Sed quid si scrupulosus fallatur in obsequendo consiliis Confessarii, & verè omisit Horam Canonicam, non expresserit in confessione peccatum, consenserit &c. peccabitne penitens? Peccabit enim verò materialiter, non formaliter, cum status scrupulositatis, & prudens iudicium Confessarii sufficientem, imò majorem faciant probabilitatem practicam, ex qua practicè certum iudicium format, sibi hic & nunc sequendam esse sententiam Confessarii.

§. II.

Remedia pro scrupulosi in particulari.

9. Sunt igitur primò, qui graves animi anxietates patiuntur, ex dubitatione, an alicui tentationi v. g. blasphemiz, impudicitiz &c. consensum dederint, qui si sint conscientiz timorata [non enim est sermo de hominibus laxa vita, qui passim impuris voluptatibus ex consuetudine se inquinant, & in proximas peccandi occasiones conjiciunt, qui si dubitant, an consenserint, propter malam consuetudinem meritò pro se possunt præsumere] pro se debent præsumere, & judicare, quòd non consenserint. Cujus signum evidens est horror & displicentia, quam habent de ejusmodi tentationibus & peccatis; siquidem & Christus D. S. Theresia [ut refert Josephus Rossell cic] revelavit, horrorem peccati, quem quis habet, esse signum charitatis peccatum excludentis. Cum igitur scrupulosi etiam umbram peccati sollicitè abhorreant, quis credat, eos tentationi facile consensisse? Secundo: Si sæpius repetere solet propositum, nunquam DEUM graviter offendendi, eique in omnibus placendi. Tertiò: Si ex interna tentatione non processit in actum externum, cum è consensu interno facilissima sit via etiam ad actum externum.

10. Secundo. Plurimi patiuntur scrupulos, quòd nunquam ritè & integrè fuerint confessi, quòd numerum aut circumstantias peccatorum non debite expresserint, quòd requisitum de peccatis dolorem, aut efficac propositum emendationis non elucierint: ideo imaginantur, priores confessiones fuisse invalidas, easque identidem volunt repetere, aut generalem confessionem de tota vita instituere, unde novo scrupulorum labyrintho sese intricant. Audiant isti Ludovicum Granatensem monentem: Confessio Sacramentalis non

fuit instituta ad injiciendos conscientiz laqueos, sed ad eam pacandam, & sepelienda peccata, morali diligentia manifestata, & scrupulos inde ortos. Postquam igitur scrupulosus sua peccata cum morali diligentia fuit confessus, debet juxta prudentis Confessarii iudicium acquiescere, neque permittendus est peccata jam exposita denuo repetere, aut Confessionem generalem instituere, sed neque nimis exactâ diligentia in peccata inquirere, multò minùs, an priores Confessiones fuerint validæ, debet examinare. Sciat quoque ad percipiendam de peccatis absolutionem non esse necessariam contritionem, sed sufficere attritionem, quæ facili negotio obtineri potest: nec requiri necessariò explicitum & formale propositum non peccandi de cætero; sed sufficere virtuale & implicitum, quod in efficaci dolore imbibitur.

Tertiò. Multi vexantur scrupulis in recitando Officio Canonico, aut proferenda forma Sacramentorum, vel quòd existiment se debita intentione, aut attentione caruisse, vel verba non integrè pronunciâsse &c. ideo inani studio de novo recitare, & pronuntiare incipiunt, & nullum quasi repetendi finem faciunt.

Isti quoque consilium docti & prudentis viri, quæ ipsis ostendat, quid ad implendum præceptum sufficiat, pro regula habeant. Non credant, se aliquid omisisse, quamvis omnimodam certitudinem non habeant de aliqua hora, aut psalmo recitato, dummodo alias consuetudinem habeant Horas integrè recitandi.

Sint contenti intentione virtuali, vel exercitâ, qualis illa est, dum librum breviarii in manus accipiunt, & incepturi cruce se signant, sintque in ea dispositione, ut interrogati, quid hic & nunc agere vellent? responsum darent, velle se obligationi recitandi breviarii satisfacere. Neque mentis evagationes & distractiones graviter nocere existiment nisi cum plena advertentia, & datâ operâ mentem ad alia diverterint.

Denique universim scrupulosi & de sua salute anxii animum sæpius applicent ad recogitandam infinitam DEI bonitatem & amabilitatem, qui non vult mortem peccatoris, nec delectatur in ejus perditione. Sentiant de Domino in bonitate, & audiant Christi invitantis vocem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11. Sanè ad omnem anxietatem depellendam sufficere poterit immanis DEI misericordiz, & pietatis recogitatio, prout devotè expendit Venerabil, noster Bofius de consol. pusill. c. 17. §. 2. Nulla, inquit, meroris magnitudo, nulla angustiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas, nulla peccatorum turpitudine re ad desperationem, nimiamque pusillanimitatem adducat. Quantumcumque peccaveris, semper DEI misericordia in infinitum tuas iniquitates excedit, quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas parata est adjuvare tuam fragilitatem. Et §. 3. Quantumvis magni peccatores & imperfecti homines simus, quare non cum humili & plena fiducia ad DEUM convertimur, qui est abyssus inexhausta pietatis, cujus natura bonitas, cui proprium est semper misereri & parcere?

DISPU.